

cet quod quemadmodum Adam a Deo ex terra factus est, secus ac alii homines, ita Christus ex Maria non ope viri, sed per virtutem Spiritus S. genitus est: comparatio ita institueretur, ut diceretur Adam ex terra sola, ex terra rudi, absque ministerio causae secundae prius in carnem humanam elaborata factus fuisse: atqui terra *virgo* semper dicitur: *virginitas* terrae prae oculis semper habetur: porro *virginitas* munditiam quamdam et puritatem specialem eius terrae per se significat. Ea autem si ad Mariam transferatur, quae digna exsiliit Dei Mater, dignaque ob puritatem, atque ita transferatur ut ideo dicatur Maria terra *virgo* ut eam esse dignam Dei Matrem significetur; liquet in hac comparatione virginitatem sub ratione puritatis accipi.

Iam vero comparatio haec Mariae cum terra, de qua formatus est Adam, terra *munda, nondum maledicta*, cogit nos cogitare *puritatem originalem*; huiusmodi enim fuit mundities et benedictio propria illius terrae: ergo.

### Thesis LXXXV.

*Explicita quoque affirmatio immaculati Conceptus Deiparae in universa catholica Traditione continetur.*

I. Gradum facimus ad testimonia explicita Traditionis: dicimus huius veritatis testimonium explicitum illud, quod de peccato originali diserte agit, seu quod immediate refertur ad ipsum primum instans existentiae b. Virginis, atque hoc immo a labe peccati docet. Duplici autem modo habere se possunt haec testimonia: nam vel metaphorica locutione, vel terminis propriis eadem veritas affirmari potest. Quia vero, cum fundamentum translationis notum est, non minori claritate metaphoricae propositiones gaudent, quam quae terminis propriis efferuntur; ideo utraque specie testimoniorum eodem in re utemur.

II. Quoad Ecclesiam latinam haec producimus testimonia. Hymnus, qui tum auctoritate codicum, tum similitudine styli tribuitur probabilissime s. Ambrosio, et est certe antiquissimus (cf. in Sylloge Ballerini T. I. p. 322 iudicium super hac re doctissimi viri Ioannis Petri Secchi S. I.) quique incipit: *quis posset ampla flamine praepotens*: haec canit in tertia et quarta stropha: « Hausto maligni primum ut occidit-viro (a *virus* quod est venenum) chelydri terrigenum parens,—hinc lapsa pestis per genus, et repens—unctum profundo vulnere perculit.—Rerum miseratus sed sator, *inscia-cernens piaculi viscera Virginis*,—his ferre mortis crimine languido-mandat

salutis gaudia seculo. » Cum priore stropha significetur diserte peccatum originale, altera pariter clarissime dicitur quod *piaculi* huius, nempe de quo in praecedente mentio facta est, *inscia fuit Virgo*: ac praeterea ideo electa dicitur Virgo ad ferenda gaudia seculo languido propter crimen mortis, quia ipsa *inscia* erat huius piaculi. Idem Ambrosius, qui sec. IV. floruit in Ps. CXVIII. Sermon. ult. paraphrasticè enarrans verba: *Erravi sicut ovis quae perivi; quare servum tuum*, sic Davidem inducit loquentem: « Erravi ovis tua, dum tu moraris, dum tu versaris in montibus. Dimitte nonaginta oves tuas, et veni unam quaerere quae erravit... Ad me veni, quem eiecim de paradiso serpentinum diu ulceris venena perterant, quia erravi a gregibus tuis illis superioribus (nonagintanovem ovibus). Nam et me ibidem collocaveras, sed ab ovibus tuis lupus nocturnus avertit. Quaere me, quia ego te requiro... Veni ergo et quaere ovem tuam, iam non per servulos, non per merganios, sed per teipsum. Suscipe me in carne, quae in Adam lapsa est (apprehendit enim carnem naturae, quae in Adam peccavit); suscipe me non ex Sarra, sed ex Maria, ut *in corrupta sit Virgo, sed Virgo per gratiam ab omni integra labe peccati*. » Sensus obscurus est. Virgo *in corrupta* est ne Maria, an caro? Videri possit esse caro, ut sensus sit: suscipe me in carne h. e. carnem assumens factus homo; et carnem assumens non ex Sarra sed ex Maria, cum enim haec virgo genuerit, vi ipsius generationis caro tua erit *in corrupta* et *integra* ab omni labe peccati, ut decet. Scilicet diceret Ambrosius: suscipe me per te ipsum suscipe me—factus homo assumens carnem ex Matre virgine ut caro tua sit immaculata vi ipsius generationis. Videri quoque posset virgo *in corrupta* de qua loquitur Ambrosius, esse b. Maria. Nam de carne mediate et in obliquo tantum sermo prius occurrit: si autem ea foret subiectum propositionis: *ut in corrupta sit Virgo*, quandoquidem immediate praecesserat appellatio personae, quae certe virgo dici potest, et frequentissime ac Antonomastice sic vocatur, nomen illud *caro* expressum fuisset aperte. Qua posita interpretatione Maria igitur, teste Ambrosio, est virgo per gratiam *integra* ab omni labe peccati. Atqui in eodem contextu sermo est de peccato originali, propter quod eieci sumus de paradiso, quo humana caro seu natura lapsa est in Adam: haec ergo quoque labe diserte excluditur; cum *omnis labe* quamlibet comprehendat, et heic de originali potissimum sermo sit. Sed nobis haec interpretatio certa non est: idcirco rem in medio relinquitur.

Sub initium sec. V. Prudentius in hymno ante cibum: « Ecce venit nova progenies, — Aethere proditus alter homo, — Non luteus, velut ille prior; — Sed Deus ipse generis hominem, — Corpo-

reisque carens vitiiis. = Fit caro vivida Sermo Patris, — Numine quem rutilante gravis — Non thalamo neque iure tori — Nec genialibus illecebris — Intererata puella parit. = Hoc odium vetus illud erat, — Hoc erat aspidis atque hominis — digladiabile discidium, — Quod modo cernua femineis — Vipera proteritur pedibus = Edere namque Deum merita — Omnia virgo venena domat: — Tractibus anguis inexplicitis — Virus inerme piger removit — Gramine concolor in viridi. » Revomii scilicet virus sub pede virginis: non ergo illud eam infecit, quae imo omnia anguis venena domat.

Ex Augustino, qui seculo V floruit, testimonium proferimus ex lib. de Nat. et Grat. c. 36, quod iam recitavimus in Thes. praeced. sub finem arg. 3. Modo advertimus locutionem esse universalem (cum de peccatis agitur), et rationem additam (*propter honorem Domini*) valere in peccato originali non minus quam in personali veniali. Aiunt ibi quæstionem habere Augustinum de solis peccatis actualibus. Atqui miramur id adeo fidenter dici; nam licet deus ibi de iis specialius et frequentius esse sermonem, certum est tamen quod peccatum quoque originale observabatur menti Augustini, et de illo heic loquebatur; cum praesertim Pelagianii illud supponerent nullum esse, cum possibile assererent homini esse sine ullo peccato. Sane et ante caput illud 31. evertens Augustinus sententiam Pelagii, de peccato quoque originali disserit, atque negationem eius affirmat pertinere maxime ad doctrinam Pelagii, quam reprehendit ibi Augustinus, c. 19. seqq. ac praeterea deinceps inter argumenta allata ad suam sententiam tuendam producit in medium Augustinus peccatum originale provocans ad verba Apostoli Rom. V. 12. cc. 39. 41. Perperam ergo prorsus et contra Augustini mentem ea limitatio asseritur.

Verum ad id evincendum opus non est argumentis artificialibus, cum diserta prostat hac super re Augustini doctrina; qui cont. Iulianum Lib. V. c. 43. advertit verissime dictum esse de Christo: qui peccatum nen fecit; inquis: « omnino verissimum est. Profecto enim peccatum etiam maior fecisset, si parvulus habuisset. Nam propterea nullus est hominum praeter ipsum (excepta quoque iuxta eundem Augustinum b. Maria) qui peccatum non fecerit grandioris aetatis accessu, quia nullus est hominum praeter ipsum qui peccatum non habuerit infantilis aetatis exortu. » Ergo iuxta Augustinum ex hoc antecedente: *peccatum originale habuit*, sequitur necessario hoc consequens: *ergo aliquid peccatum saltem lere admisit*. Atqui negato consequente, negandum est antecedens; ergo Augustinus negans illud consequens de b. Virgine; de eadem negat etiam illud antecedens.

Sententiam Ecclesiae Latinae hoc seculo V, manifestat nobis non solum Augustinus, sed et haereticus quocum pugnata. Scilicet Iulianus ita (*Oper. imp. L. IV. c. 122*) Augustinum urgebat: « Ille (Iovinianus) virginitatem Mariae partus conditione dissolvit; tu ipsam Mariam diabolo nascendi conditione transcribis: nimirum tu, qui doces omnes homines ex peccato primi hominis nasci peccatores, subdis Mariam captivitati diaboli, eo quod nata est ex Adamo. Hoc argumento docemur sententiam certam fuisse ac communiter notam quod Maria, licet orta ex Adamo, immunis fuerit a captivitate diaboli: quemadmodum certa erat omnibus perpetua Mariae virginitas. Neque enim de sola nativitate ex utero sermo esse poterat, cum Augustinus omnes ex Adamo genitos diceret esse peccatores, atque id negaret Iulianus; ipsa autem generatio solet intelligi cum nativitas diceretur. Quid vero Augustinus respondet? « Non transcribimus diabolo Mariam conditione nascendi, sed ideo quia ipsa conditio solvit gratia renascendi ». Iam vero *gratia renascendi* non est ea gratia quae natis iam ex utero conferitur, prout formaliter ut talis spectatur; 1) quia sic haberemus Augustinum negantem sanctam b. Mariae nativitatem, quod nisi evidentibus argumentis affirmare haud licet; 2) quia sic integra maneret vis argumenti Iuliani; nam non solum concepta sed nata esset in peccato, ideoque *transcripta prorsus diabolo*: neque enim his verbis volebat dicere Iulianus quod e sententia Augustini Maria fuisset semper sub diabolo, sed aliquando. Non ergo potuisset negare Augustinus se *transcribere Mariam diabolo*, si concederet eam, non secus ac ceteri, natam esse in peccato. Gratia ergo renascendi est gratia, quae certe ante nativitatem ex utero collata est: verbumque *renascendi* ibi accipitur materialiter, significatur nempe ea gratia, qua ex ordinaria lege homines nati renascuntur. Et sane quod Augustinus heic tuetur, illud est, homines ex se ratione originis esse peccatores, gratiam esse necessariam, qua sanentur et sanctificentur. « Non dico nec per gratiam homines liberari, sed quod non vis dicimus, non nisi per gratiam liberari non solum ut iis debita dimittantur verum etiam ne in tentationem inferantur. Non transcribimus etc. » Porro haec veritatem suam integre tulerunt, etsi ab initio existentiae quis per gratiam praeservetur a peccato, in quod sine gratia praeservationis incurrisset. Gratia ergo renascendi est gratia qua quis a peccato liberatur, quocumque tandem modo liberetur. Quandoque vero censenda est ex Augustini sententia collata haec gratia b. Mariae? Eo profecto momento, ut verum sit Mariam non transcribi diabolo; atqui nisi collata dicatur in ipso primo instanti existentiae, vere Maria transcribitur diabolo. Nec refert eam deinceps per gratiam liberari: hoc

enim commune est omnibus; nec prorsus respondet argumento Iuliani, qui manifeste arguit ex speciali prerogativa b. Mariae; ideoque nequiverisset Augustinus absolute negare quod ei exprobrabat Iulianus, se transcribere Mariam diabolo; sed eo concesso rationem reddere cur id censeret. In hac ergo re, uterque, Iulianus et Augustinus, haeretici et catholici consentiebant, Mariam nunquam fuisse sub potestate diaboli.

Eodem seculo V. Sedulius (in Carmine Paschali L. II. v. 28. seqq. Migne P. L. T. XIX, pag. 396) canebat: « Ut velut e spinis mollis rosa surgit acutis, — nil quod laedat habens, matremque obscurat honore: — sic Evae de stirpe sacra veniente Maria, — Virginis antiquae facinus nova Virgo piaret ». Cum rosa surgere dicitur e spinis, initium eius existentiae significatur: sic porro Maria, veluti rosa e spinis, ex Evae stirpe processit: in illo ergo primo instanti suae processionis, spinis carebat, nihilque habebat quod laederet.

Auctor exstat Tractatus adversus quinque haereses, qui Augustinus creditus fuit, at cum satis clare innuere ille videatur (c. 6) se interesse tyrannidi Arianorum in Africa, ad eam aetatem referendus videtur nempe sec. V. labentis aut VI. Scriptor est doctus et elegans (Migne Oper. August. T. VIII. Append. p. 1101). Disputat hic tertio loco contra Manichaeos: Contendebant isti « phantasma esse, quod dicitur Dominum Christum femineo potuisse nasci ex utero. Non enim dignum est, inquirunt, ut tanta maiestas per sordes et squallores feminae transisse credatur » (c. 1. n. 2). Respondet autem: « Dicit tibi Deus creator hominis, filius hominis, quid est quod te permovet in mea nativitate? Non sum libidinis conceptus cupiditate. Ego matrem de qua nascerer feci, ego viam meo itineri praeparavi atque mundavi. Hanc. quam despiciis Manichaeae, mater mea est, *sed manu fabricata est mea. Si potui inquirari cum eam facerem, potui inquinari cum ex ea nascerer* ». Scilicet Deus fabricans sibi manu sua virginem de qua nasceretur, paravit viam itineri suo. Ea verba *manu fabricata est mea* significant certe aliquid speciale pro Virgine: non ergo significant tantum creationem quae est opus Dei, sed communis omnibus animabus: eo autem spectant illa verba ut probetur sordes abesse a Virgine, dignamque eam fuisse ut per eam Deus ad nos procederet. Nihil ergo aliud significare possunt ea verba quam fabricationem Virginis mundae et sanctae, cuius nempe conditio moralis non ab Adamo, non a diabolo, sed a solo Deo fabricante pendeat. Cum autem sermo sit de prima origine (ego feci: fabricata est manu mea) asseritur ergo puritas originalis. Unde Deus concludit sermonem eo argumento quod huc redit: non potui inquinari cum eam feci; ergo nec inquinari potui ex ea nascens. Evidens est non ideo

negare Deum se potuisse inquinari cum Mariam fecit, quia ipse creans animas non est auctor peccati; nam haec ratio valet pro omnibus: contextus vero sermonis postulat specialem operationem Dei pro Virgine, quam dicit se fecisse, et faciendo eam praeparasse viam sibi. Restat ergo ut ratio cur Deus faciendo Virginem inquinari non potuerit, ab ipso obiecto petatur, nempe quia Maria fuit ab initio pura; ideoque Deus nascendo ab ea inquinatus non fuit, quemadmodum nec faciendo eam: quia scilicet utrobique eadem puritas fuit. Adverte hoc argumento usum fuisse quoque eodem seculo s. Proclum in celebri homilia habita Constantp. coram Nestorio: ait enim n. 3. *ὅτι καὶ πλάσσωσιν οὐκ ἐμολούθη, δια ταυτὸς προέβησιν οὐκ ἐμικνῆσθαι.* »

Seculo VI Venantius Fortunatus (Operum P. I. L. VIII c. 6. edit. rom. 1786. p. 1. pag. 284.) canebat de Virgine: « Fimentum figuli super omnia vasa decorum, — atque creaturae fulgida massa novae... Nomen honoratum benedicta Maria per aevum, — Flos novus e terra, quem polus arce colat ». Spectatur heic Maria cum per creationem a Deo procedit primumque existit: dicitur enim *fimentum figuli, artificis opus, massa creaturae novae, flos novus e terra*, atqui pro eo instanti describitur *fimentum decorum, massa fulgida, flos*; ergo.

Inter opera Augustini (Migne T. V. pag. 4990. Serm. CXXIII in Natali Domini VII) sermo exstat, qui in manuscriptis codicibus Patrum maurinorum non nisi Augustini nomen praefert, in aliis, ut monent Lovanienses, aut Fulgentio, aut Severiano asseritur. Potest ergo adhiberi auctor huius sermonis tanquam testis antiquus, et probabiliter ut spectans ad seculum VI, vel non admodum ab eo distans. Hic porro ait n. 2. « Tria mala Evae a tribus bonis Mariae probantur exclusa: nam Evae dictum est: in dolore et in tristitia paries, et ad virum conversio tua, et ipse dominabitur tui: Maria autem e contrario quam praecclarissimis tribus bonis sublimetur, aucta, *salutationis angelicae, benedictionis divinae, et plenitudinis gratiae*. Sic enim eam legitur salutasse Angelus: Ave Maria, gratia plena, benedicta tu inter mulieres. Cum dixisset *Ave* salutationem illi caelestem exhibuit: cum dixit *Gratia plena*, ostendit *ex integro iram exclusam primae sententiae et plenam benedictionis gratiam restitutam*: cum dixit *benedicta tu inter mulieres*, virginitalis eius benedictum fructum expressit ». Adverte hoc tertium bonum opponi omnibus iis tribus malis Evae: secundum autem bonum opponi malo quod Evae fuit commune cum Adamo. Hoc autem bonum est ea sanctitas quae peccatum originale quoque excludit. Nam est exclusio irae primae sententiae, exclusio per gratiam et plenitudinem

gratiae, exclusio ex integro: atqui ira quae per gratiam excluditur, est odium peccati; ira autem primae sententiae est odium peccati primi quod in omnes derivatur, seu peccati originalis; exclusio ergo eius irae est exclusio peccati illius: porro *exclusio ex integro* est praeservatio ab eo.

Auctor Sermonis XII de S. Maria inter opera dubia S. Hildephon- si qui sec. VII. floruit (Migne P. L. T. XCVI. p. 279), haec habet: « Hinc (ex peccato scilicet primi hominis) est quod radix vitiosa quotidie indesinenter frondet, frondesque eius indesinenter per mortem marcescunt. Et saepe contingit quod aurum fulgens reperitur in luto, et ex pungenti spina pulchra rubens oritur et rosa. Hoc enim operante providentia divina, ex radice vitiosa sine vitio prodit virga, quae intelligitur beatissima Virgo Maria, attestante Isaia propheta, qui dixit: « Exiet virga de radice fesse, et flos de radice eius ascendet ». Non affirmamus vero antorem hunc setulo VII scripsisse.

Constat ergo ea ipsa aetate, qua in Ecclesia latina vixit pugna contra Pelagianos, et deinceps, praedicatam esse explicitè immaculatam Virginis conceptionem. Nec seculis insequentibus ante Bernardum testimonia explicita desiderantur.

In Homiliario Pauli Diaconi qui floruit seculo VIII labente, existat homilia in Nativitatem b. Virginis, quam quidam Alcuino aequali, quidam ipsi Paulo vindicant: quamvis et ad aliquem posteriorem spectare possit; nam in eam collectionem homiliarum a Paulo adornatam, quaedam subsequentium homiliae introductae sunt. Est tamen ea homilia antiquior seculo XII. Ita ergo habet (edit. Coloniae ann. 1557. pag. 599): Ipse sol insititiae ex te processurus ortum suum quadam matutina irradiatione praeveniens, in te lucis suae radios copiose transfundit, quibus potestates tenebrarum, quas Eva induxerat, in fugam convertisti: ... Tu pulchra ut luna, imo et pulchrior luna, quia tota pulchra es, et macula non est in te, nec vicissitudinis obumbratio... Horruerunt principes tenebrarum quando viderunt praeter morem instructam omni armatura fortium contra se procedere feminam... Nimirum timor et tremor venerunt super eos, ita ut dicerent: *Ecce plusquam Eva haec* ».

Seculo autem IX s. Paschasius Radbertus in fragmento Tractatus de Partu Virginis, qui eundem antorem habet ac Tractatus inter Patres Toletanos editos a Lorenzana T. I. p. 328), probat purissimum et integerrimum fuisse partum Virginis ex eius immunitate a peccato originali, « haec omnia (gemitus, dolores, viscerum vexationes etc.) ut saepe dictum est (occurrit id in lib. I. eius Tractatus non semel) in prima origine illatae sunt vindictae et retributiones

injustissimae primae praevaricationis. A quibus omnibus b. Virgo Maria, quantum est aliena a culpa, tantum procul dubio libera fuit a doloribus et poenis ». Ceterum confer aliud eiusdem testimonium ex lib. I. eiusdem Tractatus in Th. LXXXIV citatum. Rursus ut liquet ex neapolitano Calendario superius citato festum Conceptionis b. Virginis iam sec. IX celebrabatur in Ecclesia neapolitana.

Fulbertus Carnotensis Sec. XI. incipiente (Migne P. L. T. CXLI p. 326) serm. in Virginis Nativ. ait « Quanta, putamus, provisio fuerit sanctorum Angelorum circa tam Deo gratissimos parentes (Ioachimum et Annaam) ab initio suae (Mariae nempe) procreationis et excubatio super tam ingentem sobolem? Nunquam abfuisse credendus est Spiritus S. ab ista eximia puella quam obumbrare disponebat virtute ». Sermo est de ipsa procreatione puellae, atque ab ea nunquam abfuisse dicitur Spiritus S.; is porro abest ab anima peccato infecta. Ibidem rationem reddit, cur praecedentes Patres « temporanea initia Virginis fidelibus enucleatim non exornarunt, ut ad omnium notitiam vulgarent ».

Eodem sec. XI. in Charta donationis Ugonis de Summo (licet de gennitate huius monumenti quidam doctus et eruditus vir dubitaverit, cuius argumentis tamen non adeo possumus permoveri) edita a P. Antonio Ballerini (Sylloge... T. I. p. 11. seqq.) professio clara habetur immaculae conceptionis b. Virginis, quae « gratia Filii ab originali labe anticipata redemptione praeservata semper fuit tam anima quam corpore integra et immaculata. » Subiiciturque ibidem Tropus canendus: candidissima uti lilia. - salve aeterni Patris filia - salve mater Redemptoris, - salve Sponsa Spiritoris - sine macula concepta, - salve Triadis electa. - Salve inferni vitricae aspidis, - illius expers sola cuspidis: - salve Triadis electa - sine macula concepta ».

Eodem sec. XI. Marbodius Episcopus Redonensis (edit. D. Antonii Beaugendre Parisiis 1708 p. 1589) in Oratione ad Matrem Domini canit: « Stella maris, quae sola paris sine coniuge prolem, - insititiae clarum specie super omnia solem: - gemma decens, rosa nata recens perfecta decore. » Nativitas haec non Virginis sed rosae designatur. Comparatur porro Maria rosae recens natae, cum nempe primo inceperit esse, quemadmodum apud alios quoque haec similitudo occurrit; cf. Sedulium superius allatum. Porro Maria exhibetur similis rosae primum erumpenti perfectae decore: primordialis itaque existentia Virginis fuit pulchra, sancta, immaculata.

Ivo carnotensis, qui mortuus est sub initium sec. XII, in Serm. de Nativ. Domini (Migne P. L. T. CLXII. p. 570): « Christi mater Virgo concepit, Virgo peperit, Virgo permansit... Quomodo ma-

trem carnis suae sanctificaverit audiamus. Omnem quippe naevum tam originalis quam actualis culpae in ea delevit... sola haec, quae utrumque maledictum (mortis et concupiscentiae in pariendo) excluderet. » Quomodo autem delecta est culpa originalis? profecto eo modo quo actualis. At haec delecta fuit in Virgine, quatenus ipsa ab illa praeservata fuit: ergo.

Sec. XII. s. Anselmus lib. De Concep. Virgin. c. 18. ait: « De mundissima Virgine Filius Dei verissime conceptus est... quia decebat ut illius hominis conceptio de matre purissima fieret. Nempe decens erat ut ea puritate, qua maior sub Deo nequit intelligi, Virgo illa niteret, cui Deus Pater unicum Filium suum... dare disponebat etc. » Evidens est haud secum cohaerere puritatem qua maior sub Deo nequit intelligi, et inquinamentum peccati vel uno instanti.

Sub initium eiusdem saeculi Paschalis II consecravim in Galliis, in templo monasterii Athanacensis prope Lugdunum altare dicatum s. Conceptioni b. Mariae quod suasionem s. Anselmi erectum fuerat. (Lege Dissert. cl. P. A. Ballerini de Scriptis s. Bernardi n. 9. seqq.). Hoc porro factum est testimonium evidens fidei in hac re non solum praecipuae Ecclesiae Galliarum sed potissimum Romanae Sedis. Perpende modo an probabile sit s. Bernardum deinde scripsisse ad eandem Ecclesiam Lugdunensem epistolam illam, quae sub eius nomine fertur contra celebrationem huius festivitatis.

Eodem saeculo s. Bernardus sententiam adoptans s. Anselmi ait 2. homil. super *Missus est* n. 7. seqq. « Deus... Matrem suam singulari in caelestibus donaturus gloria, singulari in terris praevenerit curavit et gratia... Factor hominum, ut homo fieret, nasciturus de homine, talem sibi ex omnibus debuit deligere, imo condere Matrem, qualem et se decere sciebat, et sibi noverat placituram. Voluit itaque esse Virginem, de qua immaculata immaculatus procederet, omnium maculas purgaturus... Propterea curre Eva ad Mariam, curre mater ad filiam: filia pro matre respondeat, ipsa matris opprobrium auferat... redditur nempe femina pro femina, prudens pro fatua, humilis pro superba.... Missus est Angelus ad Virginem... nec noviter nec fortuito inventam, sed a saeculo electam, ab Altissimo praecognitam et sibi praeparatam, ab Angelis servatam... Scrutare Scripturas... quam tibi aliam praedixisse Deus videtur, quando ad serpentem ait: Inimicitias ponam inter te et mulierem? et si dubitas quod de Maria non dixerit, audi quod sequitur: Ipsa conteret caput tuum. Cui haec servata victoria est nisi Mariae? Ipsa procul dubio caput contrivit venenatum, quae omnimodam maligni suggestionem tam de carnis illecebra quam de mentis superbia deduxit ad nihilum. » Virgo immaculata de qua immaculatus Christus

procedat omnium maculas purgaturus, ea sponte intelligitur quae pura sit ab omni macula quam purgat Christus, ideoque et a macula originali. Porro talis non solum delecta (postquam esset scilicet) sed condita dicitur a Bernardo b. Maria. Cum hac quidem sententia cohaerent quae dicit idem S. Doctor, nimirum et conditam esse Virginem qualis decebat Deum, et auferre ipsam opprobrium Evae, redditamque esse feminam pro femina, ipsamque Virginem caput venenatum serpentis contrivisse; venenum enim serpentis ipsum est peccatum originale: at quomodo caput illud contrivit si venenum eius hausit?

Eodem saec. XII. Petrus hlesensis in serm. 29 in nativitate b. Mariae ait: « Mala arbor fecerat fructus malos, concupiscentiam scilicet carnis originale peccatum, malorum seminarium, communis corruptelae fermentum, et generale nostrae perditionis initium. Quia ergo malo originali per bonum originale mederi oportebat, de mala illa arbore damnatae perditionis exempta et sanctificata est caro Mariae Virginis, quae licet ab utero matris suae plenitudinem gratiae et sanctitatis accepit, superveniens tamen Spiritus S. in conceptu verbi exuberantius et accumulatus in plenitudinem gratiae caelestis infudit ».

III. Verum exstant ne haec aetate primorum saeculorum usque ad saec. XI. inclusive in Ecclesia latina quaedam diserta testimonia, quae maculatum Virginis conceptum affirmant? Proferuntur quidem aliqua, sed affirmare licet nullum reapse esse. Sane, ut de iis feramus iudicium, quidam Patres id tantum docent: carnem Virginis ex propagine carnis peccati conceptam fuisse: Christum autem non sic in ea esse conceptum, quomodo ipsa fuerat concepta, ideoque carnem Christi non fuisse carnem peccati (August. L. X. De Genes. ad lit. c. 18). His autem verbis, ac similibus pluribus docemur Mariam naturali modo ex commixtione seminum ac agente concupiscentia, qua caro peccati propagatur, fuisse conceptam; secus autem Christum, qui proinde immunis fuit a peccato, immunis ex rei natura, ideoque et debito carens, quo non caruit Maria. An vero Maria peccatum contraxerit, Augustinus ibi nihil definit. Eodem sensu loquitur Petrus Damiani Opusc. VI. De Simoniacis c. 19. Quidam Christum et Mariam sive carnem Christi et carnem Mariae opposcentes, ac similitudines atque dissimilitudines utriusque recensentes, loquuntur reapse non de carne Mariae formaliter spectatae prout est haec persona, sed de carne Mariae spectatae materialiter, h. e. de carne humana, quae ratione naturae eadem erat in Maria, eodemque modo propagata ac in ceteris. Ita explicandus locus Fernand. Diacon. Carthaginensis in epist. ad Anatolium aientis: « in carne

Christi natura est *nostrae carnis*, sed non reperitur culpa naturae. Sic caro Christi *carnis Mariae* et similis est et dissimilis. Similis quia inde traxit originem; dissimilis, quia non inde contraxit vitiaetae originis contagionem. Similis, quoniam licet voluntarias, tamen veras sensit infirmitates; dissimilis, quoniam nullas penitus neque per voluntatem, neque per ignorantiam commisit iniquitates. » Haec autem postrema verba nos docent comparationem fieri Christi cum carne humanae naturae generalim, non cum Maria specialim: haec enim non admisit ullas iniquitates aut per voluntatem, aut per ignorantiam, sicut, teste Tridentino, credit Ecclesia: quod Scriptor Africanus sec. VI. post sollemnem Augustini contra Pelagianos declarationem ignorare nequibat. Quidam Mariam iam existentem dicunt emundatam a peccato; at peccati nomine concupiscentiam intelligunt, quae quamvis semper abfuerit a Deipara, non tamen est consequens quod qui eam admisit in Virgine, admisit quoque peccatum. Constat illud ex eo quod dicatur virgo a peccato purgata paulo ante Incarnationem, cum supervenit in eam Spiritus S. Ita Eadmerus discipulus s. Anselmi in lib. de Excellent. B. Virginis c. 3. (in Append. Operum s. Anselmi) inquit: « tenemus fide, ab omni, siquid adhuc in illa originalis sive actualis peccati supererat, ita mundatum cor illius ut super eam Spiritus Domini totus requiesceret. » In eundem sensum Godefridus Abbas Admontensis sec. XII. scripsit in hom. I. in Annunt. (Migne P. L. T. CLXXIV, p. 732) enarrans verba *Benedicta tu in mulieribus*: praeter alias enim interpretationes hanc quoque subiicit, nimirum « quia sicut ab actuali peccato pene libera es, ita etiam a peccato originali liberanda eris. Christus solus inter viros originali et actuali peccato liber: sicut ille solus benedictus super omnes viros, sic tu benedicta super omnes mulieres. » Eadem ratione accipiendum videtur quod Rupertus Abbas Tuitiensis qui floruit sub initium sec. XII, scripsit in Comment. Cantic. c. I. Verba enim illa *osculetur me osculo oris tui*, Virgini accomodat, comparatque cum istis: *Ecce ancilla Domini fiat mihi secundum verbum tuum*; totoque in sermone Virginem considerat secundum illud tempus quo ab Angelo annuntiata fuit, et virtute altissimi obumbrata. Ait porro (edit. Veneta ann. 1749. Tom. 2. pag. 376.) « *Et tu quidem* (Virginem alloquitur) *veraciter dicere poteras: Ecce enim in iniquitatibus concepta sum, et in peccatis concepit me mater mea.* Cum enim esses de massa quae in Adam corrupta est, *hereditaria originalis peccati labe non carebas*: sed ante faciem huius amoris (quo nempe concepit, at prius dixit) nec illud, nec aliud stare potuit. Ante faciem huius ignis stipula omnis interit, ut totum sanctum fieret habitaculum, in quo Deus totis novem men-

sibus habitaret. » Peccati originalis labe quod a Spiritu S. superveniente in Virginem, cum concepit, deleta est, nequit esse culpa, sed concupiscentia tantum esse potest, vel labe quaedam carnis, quae peccatum originale appellari solebat; et de concupiscentia possunt rite accipi ea verba Psalmi citata (cf. Cap. praeced. p. 527). Alii praeterea carnem Mariae dicunt *carnem peccati, carnem conceptam in peccato*: id autem tantum volunt dicere quod ratione generationis ea caro fuerit, cui anima coniuncta deberet contrahere peccatum. Id sane liquet ex eo quod id praedictur de carne Mariae cum Verbum conceptura erat, quae proinde caro negatur fuisse caro peccati, quia superveniente Spiritu S. sanctificata fuit, ut ex ea Christus immaculatus prodiret. Ita Paschasius Radbertus in P. I. de Partu b. Virginis. In eandem sententiam loquitur Fulgentius De Incarnat. et Grat. c. 6. Alii tandem negant Mariam fuisse *per se* immunem a nexu peccati; quia quidem limitatione iam directe significatur sententia catholica. Ita auctor homiliae 2. in Nativitatem Domini ex iis quae in Biblioth. Patrum Lugdunensi Tom. V. pag. 618. seqq. tribuntur Eusebio Episcopo Gallicano (cf. ibidem quae praemonet Andreas Scottus).

IV. Provocatur praeterea ad s. Anselmum, et ad s. Bernardum, quorum iam audivimus sententias. Ille enim L. II. Cur Deus homo, c. 46. dicit Virginem, unde Christus assumptus est, *fuisse in iniquitatibus conceptam*. Verum haec non est sententia Anselmi docentis, sed Bosis obiectionem instituentis, quam quidem sententiam neque Anselmus in sua responsione probat, nec Boso urget, quem admodum fieri solet cum vera doctrina proponitur. Sane respondet primum Anselmus Christum sine peccato fuisse eo quod Deus esset. Aliam responsionem tradit in opere de Conc. Virg. postea scripto. Tum postquam longa oratione probavit Christi redemptionem profuisse et iis qui ante Christum existerant, subdit: « Virgo autem illa, de qua ille homo assumptus est, de quo loquimur, fuit de illis qui ante nativitatem eius per eam mundati sunt a peccatis, et in eius (Virginis) ipsa munditia de illa assumpta est (Christus). Ait autem Boso: « Pliceret mihi multum quod dicis, nisi cum ipse debeat a se ipso habere munditiam a peccato, videtur eam habere a Matre, et non per se mundus esse sed per illam ». Respondet vero Anselmus: « Non ita est. Sed quoniam matris munditia, per quam mundus est, non fuit nisi ab illo, ipse quoque per se ipsam et a se mundus est »; quod et Boso approbat. Porro doctrina verbis Anselmi expressa, quae est reapse ipsa doctrina s. Doctoris nihil habet repugnans cum dogmate immaculati conceptus, nam illud asserit quod in hac quoque hypothesis asserendum erat ab Anselmo, mundatam

fuisse scilicet Virginem ob merita Christi futura. Imo difficultas quam postremo loco Boso proponit suadet ita ab eo accepta verba Anselmi ut munditia originalis b. Virginis fuerit asserta ab Anselmo, hoc enim posito pronum magis erat in illam incidere animadvertionem: nempe quod sic Christus videretur munditiam habere a Matre, quippe quae ab origine et semper munda ipsa fuerit. Quod vero ait idem s. Doctor *ibid.* c. 17. et in lib. de Concep. Virg. c. 18. (unde testimonium superius allatum desumpsimus) nempe b. Virginem mundatam esse per fidem, id, quemadmodum heic c. 19. declarat, hypothetice dixit: « etiamsi in tota Virginis essentia peccatum esset, tamen ad eiusmodi conceptionis (Christi) munditiam, per fidem munda fieri posset. »

Bernardus autem Serm. II. in Assumpt. b. Mariae explicans evangelium festi diei: « intret, inquit, domum Salvator, et frequenter visitet eam, quam poenitens Lazarus mundat, ornat Martha, et Maria replet internae debita contemplationi. Sed forte curiosus quisquam requirat cur in praesenti evangelica lectione nulla prorsus Lazari mentio fiat. Arbitror sane ne id quidem a proposita similitudine dissidere. Virginealem etenim domum intelligi volens Spiritus S. sinit non incongrue poenitentiam, quae malum utique comitatur. Absit enim ut proprii quidquam inquinamenti domus haec aliquando habuisse dicatur, ut in ea proinde scopa Lazari quaeretur. » Tum subdit: « Quod si originatam a parentibus maculam traxit; sed minus a Ieremia sanctificatam in utero, aut non magis a Ioanne Spiritus S. repletam credere prohibet pietas christiana; nec enim festis laudibus honoraretur, si non sancta nasceretur. » Pergit deinceps declarando quod pro peccato originali non est agenda poenitentia. Respondent communiter Theologi locutionem Bernardi hypotheticam esse, qua, etsi identidem exprimamus id quod verum est nobisque certum, solemus tamen uti quoque cum id quod enuntiatur vel incertum nobis est, vel e sententia nostra falsum. Quare non constat utrum heic quod Bernardo certum erat contineatur, an id quod ipsi incertum, aut potius id tantum quod ab alio quopiam fingi possit. Fortè melius respondet Ballerini (Dissert. de Scriptis S. Bernardi n. 59.) Sermonem hunc non a Bernardo sed a Nicolao Clavallensi profectum esse.

V. Ad Graecos quod spectat, res citius et facilius expeditur. Nam si consideras argumenta instituta in Th. praec. praecipue primum, ea confecta sunt maxima ex parte ex doctrina Patrum graecorum Ecclesiaeque graecae liturgia. Cum praeterea ibidem a sec. VII certe vigerit celebritas huius festivitatis, et nulla controversia in eadem Ecclesia quoad hoc dogma existerit; argumentum est agnitum fuisse

in ea Ecclesia hanc doctrinam ut derivatam ab Apostolis. Quocirca satis erit testimoniis iam superius citatis, quaedam addere, ut plenius intelligatur quibus locutionum formulis Graeci dogma hoc exprimerent. Itaque hi de ipsa b. Virginis conceptione loquentes primumque instans existentiae eius respicientes, aiunt: « nunc rosam fragrantissimam in sterili plantari agro, quae odore suo quidquid sub sole est perfundat, nunc arido in utero divinum plantari paradisi (Petrus Argor. Episc. in Concept. Deip. §. I. Ballerini I, 122. 24. Leo sapiens orat. in Deip. nativ. Combefis. Auct. T. I. p. 1613. 15), Ioaachimum et Annam gignere virginitatis radium (Iosephus hymnograph. in Mensis die XXV. Iulii. Ode γ'), gignere eos caelum splendendum; ac tunc caelum novum et sublimissimum a Deo fabricari, tabernaculum divinum extrui, regalemque purpuram contexti (Georgius Nicomed. Orat. in Deip. concept. Combefis. Auct. T. I. p. 1043. Ioannes Monachus in Concept. ss. Deiparae Ballerini I. 166. Theodorus studites orat. in Nativ. Deip. n. 4. inter orationes Damasceni Migne 96. p. 683.). Aiunt « immaculatam hodie Christi purpuram annuntiare de sterili utero ex gratia contextam » (In officio graecorum pro festo conceptionis can. 3. Ode 1.). Aiunt in ortu virginis terram quae ob maledictionem spinas ferebat, ad uberatam frugum, mutata foecunditate, fructum edidisse *non solitae maledictionis imbutum*, sed benedictionis dulcedine delectantem (Leo Sapiens Orat. 2. in Deip. praesent. Combefis. Auct. I, 1620), Mariam fuisse *fructum unicum* beatissimum in cunctis generationibus (Iacobus Monachus Orat. in Nativit. Deiparae *ibid.* I, 1278). Aiunt non manibus hominum aedificatum esse Dei templum, sed Dei Patris beneplacito et cooperatione Sanctissimi ac vivificantis Spiritus Christum Dei filium eam aedificasse, cum in utero concepta est Deipara (Ioannes Euboeensis orat. in Concep. Deipar. §. ultim. Ballerini I, 103), Annam audivisse ab Angelo se concepturam puellam prorsus immaculatam (idem, *ibid.* p. 75); atque hanc prolem purissimam potuisse de se affirmare: *in iniquitatibus concepta non sum, et solam non concepit in peccatis me mater mea* (Isidorus Thessal. Orat. in Deip. praesent. §. 43. Ballerini I. p. 444). Eius proinde conceptio dicitur *sancta* (in Anthologio die 9. Decembris Ode γ'); diciturque Anna concipere *την μωτην αγνην* (*ibid.* Ode δ') *την αγνην περιστεραν* (*ibid.* Ode ε'); *τον νεον ουρανον* (*ibid.* Od. δ'); eiusque in utero collocari dicitur *mons sanctus, scala divina, ac praeparari thronus magnus Dei*, atque incipere germinare *rubus incombustus* (*ibid.* vesper.). Cum haec in conceptionis festo canerentur, et ad Virginem conceptam referantur, sanctitatem eius conceptionis manifeste docent. Quoad alias Ecclesias, Syriacam e. g. Armenam,

Coptam etc. lege opus Episcopi I. B. Malou L'Immaculée Conception etc. Tom. I. c. 4.

VI. Traditio lactenus asserta continuata est semper in Ecclesia. Et ad Ecclesiam graecam quod spectat, nulla dubitatio esse potest, quia nunquam in ea hac de re exstitit controversia. Et quia infiniti essemus si quaecumque ex graecae Ecclesiae sacris libris afferri possent, vellemus citare, satis erit nonnullas clausulas hymnorum proferre in medium quae *θεοτοκος* audiunt similesve strophas. Ita in Ode 5. de s. Silvestro (ex Menaeis 2. Ianuarii) « Salve o cadentis mundi eretrix, nulli unquam culpae subiecta. » In Ode 3. de S. Malachia (13 Ianuar.) « In te, quae nunquam ulli culpae affinis fuisti, spem omnem meam repono. » In Ode 3. de S. Gordio (ead. die) « Nemo, ut tu Domina, inculpatus est, nec praeter te intaminatus quisquam. O naevo nulli subiecta! » In Ode 6. De Translatione S. Ignatii (29 Ianuarii) « Ex te sola tanquam purissimo lilo in medio spinarum invento, uterum incolens tuum, sponsus ille tuis processit. » Ante initium Odes 4. (23 Februarii) « O a cunctis sordibus incontaminata, et super omnes inculpatus Dominam! » In Vesperis de S. Anna (23 Iulii) O Ioachimae afflatu divino decoret tu quoque Anna divinitus clara! vos gemini estis Lychini, a quibus orta est lampas, circa quam nullum umbrae vestigium cernimus. » In Ode 7. De ss. Photio et Anicet. (12 Augusti) « Et quidem videbaris, o Virgo, esse filia Adami collapsi, at reipsa eras tu Genetrix Dei eundem restituentis in integrum. »

In Ecclesia autem latina, quoniam nota est omnibus amplificatio huius traditionis in dies ita ut tandem possessionem pacificam obtineret; satis erit sententiam exponere Doctoris Angelici, eiusque magistri Alberti Magni. Et ut ab hoc exordiamur, in Opere *Super Misericordiam est* Edit. Lugdun. 1651 per Petrum Lammy Ord. Praed. Tom. ult.) q. 31. ait « ex peccato secutum triplex vae; vae poenae, vae ignorantiae, vae culpae. Item triplex vae culpae, originalis, actualis, venialis... Item vae poenae triplex est... Concludit: « Sine omni triplici vae fuit b. V. Maria, sed tripliciter; sine vae culpae actualiter, sine vae poenae causaliter, sine vae ignorantiae habitualiter. » Idem docet in Biblia b. Virginis Mariae, ad Lucam Evangelistam, in ea verba *Ave gratia plena*. Nihilominus in eo priore opere q. 163. §. 2. negare videtur Mariam fuisse immunem a peccato originali; cum enim plura privilegia b. Virginis enumerasset, subdit: « sed quaeritur quare unum non fuerit, quod fuerit sine originali concepta. » Verum, si locus iste genuinus est, sententia Alberti liquet ex eius responsione; inquit enim: « Dicimus quod fuit impossibile nisi conceperetur de Virgine, et sic mater sua fieret Virgo mater. » Loquitur

ergo Albertus vel de immunitate a debito peccati vel de immunitate ipsius carnis quae non esset ex se caro peccati, de cuius sanctificatione ante animationem tunc temporis disputabatur; quae quidem sanctificatio carni Christi asserebatur utpote concepti ex Spiritu Sancto.

VII. Iam vero s. Thomas in 1. D. 44. q. 1. a. 3. ad 3. (editione Veneta de Rubéis 1776) disertissime ait: « Puritas intenditur per recessum a contrario; et ideo potest aliquid creatum inveniri, quo nihil purius esse potest in rebus creatis, si nulla contagione peccati inquinatum sit: et talis fuit puritas b. Virginis, quae a peccato originali et actuali immunis fuit. » Cf. Ioannem de Segovia in Allegatione quarta pro immac. Concept. B. V. p. 119 (edit. Bruxellis 1664. Petri de Alva) et Turrecremata in Tract. de veritate Concept. P. XII, c. 14. eidem respondentem, qui illum textum eodem modo legunt. Verum ecce in III. D. 3. q. 1. a. 1. q. 2. respondet s. Doctor: « quod sanctificatio b. Virginis non potuit esse decenter ante infusionem animae, quia gratiae capax nondum erat. Sed nec etiam in ipso instanti infusionis, ut scilicet per gratiam tunc sibi infusam conservaretur, ne culpam originalem contraheret. » Quid ergo? respondemus probabiliter vehementer esse quod locus iste fuerit interpolatus. Etenim 1) quorsum illud decenter in prima parte responsionis, cum de re impossibili agatur? 2) An s. Thomas usus esset ea formula: *conservari* per gratiam in ipso instanti infusionis, ne culpa contrahatur? quod enim conservatur, iam esse caepit: heic porro de initio existentiae animae, eiusque sanctificationis ageretur. 3) Quaestio quam heic resolvit, est: an b. V. ante animationem sanctificata fuerit; huic vero quaestioni facit satis prima pars responsionis: alia vero, quae de ipso instanti infusionis loquitur, non est ad rem. 4) Caietanus s. Thomae operum et doctrinae callentissimus non legit ea verba in hoc loco, nec alibi. Etenim in 3. p. q. XXVII, a. 2. advertit: quod « absolute loquendo, inter illas duas positiones extremas, scilicet quod fuerit sanctificata vel ante infusionem animae, vel post infusionem animae, est positio media quod fuerit sanctificata in instanti infusionis animae. Cuius opinionis auctor hic non meminit, quia tempore suo non erat adinventata, omnibus communiter tenentibus b. Virginem conceptam in peccato originali, et ideo, ut videtur, reprobantibus sanctificationem carnis eius ante infusionem animae, ut in hac litera patet. » Qui concipi potest s. Thomam ob eam rationem allatam a Caietano non meminisse eius opinionis in Summa, cum eiusdem meminisset (si locus est genuinus) iam in Sententiis? Credibile est ergo quam maxime verba illa alterius manu inserta esse, ideoque et ea quae in arg. 3. eiusdem quaestionculae exstant in fine.



Quoad doctrinam s. Thomae in Summa 3. p. q. XXVII, haec advertas 1) ibi non proponi quaestionem de sanctificatione in ipso instanti infusionis animae; 2) Ioannem Bromyardum Ord. Praed. qui Wiclefium impugnasse traditur in Conc. Londinensi an. 1382 (cf. Io. Alberti Fabricii Bibliothecam med. et infim. aetatis) in *Summa Praedicantium*, ubi agit de Corona Virginis, ita sententiam Thomae ex a. 1. q. XXVII. p. 3. referre: « Ipsa (b. Virgo) tam eminenter sanctificata fuit, quod nec mortaliter nec venialiter peccavit, sicut patet per s. Thomam in 3. p. de Christo q. 27. a. 6. In eadem etiam quaestione a. 2. ponit eius sanctificationis excellentiam quantum ad temporis prioritatem in hoc quod sanctificata fuit in sua animatione, h. e. in coniunctione animae cum corpore in utero Matris suae; et non ante; quia sanctificatio et mandatio fit per gratiam, cuius subiectum est anima » (cf. Petrum de Alva *Sol veritatis* Verit. 293. p. 831. edit. Matrit. 1660). At editiones non ita se habent. Quatenus ergo lectio genuina? c) Doctrinam S. Thomae in art. 2. qualis in editionibus exstat q. XXVII, ubi quaerit, an fuerit b. V. sanctificata ante animationem, huc redire. Qui affirmat carnem Virginis existentem post seminatalem conceptionem, fuisse ante infusionem animae mandata, et sanctificatam, 1) affirmat id quod subiecto repugnat, quia caro non est capax sanctificationis; 2) ponit quod anima adveniens ad illam carnem non haberet debitum contrahendi peccati: hoc enim debitum adest eo quod quis gignatur ex carne vitata; et proinde ponit quod illa anima non indiguit redemptore, Christie propriam praerogativam communem facit et Virgini: atqui hoc nequit admitti, ergo. Itaque quod affirmat s. Thomas, est labes originalis carnis Virginis, quae caro ex se peccatum traduceret, cui nempe anima coniuncta deberet habere peccatum, est debitum contrahendi peccati, et necessitas gratiae redemptoris ut ab eo immunis existat Maria. Cum ergo penes antiquos conceptio (proprie dicta, quae est seminalis) distingueretur ab animatione; *conceptio in originali* sive in peccato originali non erat conceptio cum formali peccato, sed conceptio carnis immundae qua peccatum traduceretur, cui anima coniuncta obnoxia esset debito habendi peccatum. Ita disserit s. Thomas etiam in Quodlib. VI. q. 5. a. 7. ubi disputat an liceat celebrare Conceptionem Dominae nostrae. Agit enim de festo, cuius obiectum esset ipsa conceptio seminalis, quam puram fuisse quidam ea aetate contendebant, ideoque dignam quo festo celebraretur (cf. Th. LXXXIV). Ita doctrinam s. Thomae eximii quoque Thomistae interpretati sunt; ex quibus videlicet Ioannem a s. Thoma in disput. 2. super 1. partem in promio art. 2.

Imo adverte quod in hoc art. 2. ex eo quod probatum est b. Vir-

ginem non fuisse sanctificatam ante animationem, concluditur immediate sanctificatam fuisse post animationem. Si id intelligatur de posterioritate temporis ut aliud fuerit instans animationis, aliud sanctificationis, nae indigna s. Thoma conclusio! Intelligenda est ergo posterioritas naturae. Scilicet negatur quod sit sanctificata ante animationem, ideoque sanctificata est cum fuit animata caro; et quia animatio natura praecedit, quia praesupponitur sanctificationi, merito dicitur *post animationem*. Quare s. Thomas id tantum directe et immediate docet tunc habuisse locum sanctificationem cum anima existit. An vero statim sanctificata fuerit, id quidem disertè non dicit: verum 1) neque negat: 2) si sententiae ab eo alibi expressae ratio habeatur, censi potest id voluisse affirmare.

VIII. Non licet vero praeterea duplex testimonium sollemne perpetuae traditionis, sententiam nimirum Basileensium, et declarationem Concilii Tridentini. Basileenses Sess. XXXVI definirunt quod doctrina asserens gloriosam Virginem immunem semper fuisse ab omni originali et actuali culpa, sanctamque et immaculatam (perpende quo spectet hoc appositum ex usu Ecclesiae), tanquam pia et consona cultui Ecclesiastico, fidei catholicae, rectae rationi, et Scripturae, ab omnibus catholicis approbanda sit, tuenda, et amplectenda, nullique de cetero licitum sit in contrarium praedicare seu docere. Haec quidem non est formalis definitio fidei, defuit praeterea legitima auctoritas: est tamen illustre testimonium sensus Ecclesiae sec. XV. Declarationem Tridentinam iam dedimus Th. LXXXII. Ea Tridentinos Patres b. Virginem ab originali labe solutam, pro rerum temporumque adiunctis, satis inuisse testatur Pius IX in Bulla dogmatica definitionis. Sane 1) ut idem Pontifex prosequitur, et in cit. Thesi iam demonstravimus, perspicue ea declaratione significarunt Patres nihil ex divinis literis, ex traditione Patrumque auctoritate rite afferri posse quod tantae Virginis praerogativae quovis modo refragetur. 2) Advertendum est Patres Tridentinos non se exhibuisse indifferentes, h. e. non dixisse se non includere neque excludere, rem prorsus in medio relinquentes; sed dixisse solum non esse suae intentionis includere, quo significarunt se quidem alienos esse ab includenda decreto b. Virgine, non autem ab excludenda. 3.) Advertenda illa particula adversativa *sed*: ait enim Synodus non esse suae intentionis includere, *sed* observandas esse Constitutiones Sixti IV, quas innovat. Scilicet non includit decreto propagationis universalis peccati originalis b. Virginem, *sed* e contrario rursus decernit quod Sixtus IV decreverat proponens et probans festum Conceptionis, asserensque miram conceptionem Virginis immaculatae (Const. *Cum praecelsa* an. 1476.). 4) Advertendum est

appositum *Immaculatae* quod Virgini tribuitur in ea declaratione. Eo enim ex usu fidelium et Pastorum Ecclesiae (cf. Definitionem basileensem) spectabat ut pura ab omni prorsus labe Maria praedicaretur; adhibitum vero in decreto de peccato originali, atque in declaratione favente exceptioni b. Virginis, eum sensum vix non necessario induebat, quem in decreto basileensi gerebat.

**Scholion.**

I. Quoniam ante sollemnem definitionem plura acta a Romana Sede emanaverunt in favorem huius doctrinae, scilicet permissio celebrationis festi, tum obligatoria pro omnibus eius institutio, et declaratio proprii obiecti huius cultus, ac praeterea prohibitio nequis publice imo et private contra eam doctrinam disputaret; quaestio non inutilis proponi potest. Scilicet quaeritur quid his omnibus decretis Rom. Sedis et praesertim constitutione Alexandri VII, quae cetera praecedentia complexa est ac cumulat, praestitum fuerit pro pia sententia, quid adhuc debeat ut veritas de fide ab omnibus censeretur? Aiebant quidem illi Pontifices se adhuc nolle rem definire, imo permisissent Dominicanae familiae ut in suis privatis colloquiis suam tuerentur sententiam; at in hoc ipso difficultas latet. Nam nonne obligarunt Pontifices fideles omnes ad cultum Conceptionis, sollemniter declarantes obiectum huius cultus esse sanctitatem b. Virginis in primo instanti suae existentiae, ita ut proinde fideles tenerentur hoc obiectum suo cultui praestituere? Imo vero potest ne Ecclesia praecipere cultum rei non sanctae cum cultum praecipit sub hac ratione ut sit cultus delatus sanctitati? poterant ne fideles colere conceptionem Virginis ut sanctam nisi crederent ipsam talem? Arguere igitur sic licet: in institutione festi iam continebatur realis affirmatio sanctitatis conceptionis: iam in obligatione imposita omnibus huius cultus et quidem ut obiectum cultus esset ipsum primum instans sanctum existentiae Deiparae, continebatur obligatio facta universae Ecclesiae credendi immaculatum conceptum: hoc vero quid est aliud quam decretum fidei? Ludebant ne ergo Pontifices cum protestabantur se nolle definire quod tali modo, etsi non totidem verbis, at formulis aequivalentissimis definiverant?

II. Huc sane redit quod Romana Sedes ante sollemnem definitionem egit. Seposita simplici celebratione festivitatis, aut permissione facta eiusdem quatenus scilicet ipsa eam sciens et prudens non improbaverit, quae aetatem Sixti IV. multo anteverunt; Sixtus IV. Const. *Cum praecelsa* an. 1476 festivitatis huius celebrationem commendavit; et ad eam celebrandam fideles indulgentiis et peccatorum

remissionibus invitavit. Const. autem *Grace nimis* an. 1483 reprobat tanquam falsam et erroneam assertionem eorum, qui affirmare praesumerent s. Romanam Ecclesiam de spirituali dumtaxat conceptione, et sanctificatione eiusdem Virginis gloriosae festum celebrare. Pius V. Const. *Quod a nobis* an. 1568 festum idem inseruit Calendario et Breviario Romano; atque ita recensuit inter ea festa, quae de praeepto ab universa Ecclesia divinis officii celebranda essent. Idem Pontifex officio veteri substituens officium nativitatis, parem fecit cultum Conceptionis cultui Nativitatis. Gregorius XV. Decreto univers. Inquisit. an. 1622 praecipit ut in festo hoc celebrando, in sacrosancto Missae Sacrificio, ac divinis officiis tam publice quam privatim non alio quam *Conceptionis* nomine uti omnes deberent. Quidam enim substituerant nomen *sanctificationis*. Clemens XI. Const. *Commissi Nobis* an. 1708 praecipit ut festum conceptionis b. Mariae Virginis immaculatae ubique terrarum in posterum ab omnibus et singulis utriusque sexus fidelibus, sicut alia festa de praeepto servaretur et celebraretur, ac sub praeepto observationis festorum comprehenderetur. Item Gregorius XV. decreto s. Inquisitionis anno 1622 prohibuit ne quis in publicis concionibus, lectionibus, conclusionibus, aut aliis quibuscumque actibus publicis auderet asserere quod b. Virgo fuerit concepta cum peccato originali. Quam prohibitionem ampliavit etiam ad privata colloquia et scripta, exceptis tamen hac in re quibus a Sede Apostolica fuerit super hoc specialiter indultum. Indulsi vero ordini Praedicatorum Brevi *Eximii* eodem anno. Decretum Gregorii XV. innovavit sua Constitutione Alexander VII. Isque authentice declaravit, ut nullus esset amplius dubitandi locus, obiectum cultus in celebratione festi esse sanctitatem animae b. V. in primo instanti suae existentiae. Affirmat scilicet veterem esse Christi fidelium erga beatam Virginem pietatem sentientium eius animam in primo instanti creationis atque infusionis in corpus fuisse speciali Dei gratia et privilegio, intuitu meritorum Iesu Christi eius filii, humani generis Redemptoris, a macula peccati originalis praeservatam immunes, atque in hoc sensu eius conceptionis festivitatem sollemni ritu colentium et celebrantium. Constitutiones autem Sixti IV. aliorumque Romanorum Pontificum editas esse in favorem huius sententiae eiusdem, nec non et in favorem Festi et cultus conceptionis eiusdem Virginis Deiparae secundum piam istam sententiam exhibiti: has porro constitutiones ipse innovat et confirmat.

III. Itaque difficultas in tribus occurrit: primo quod praeepta sit celebratio festivitatis toti Ecclesiae, secundo quod hoc praeepto praeepta sit ut obligarentur fideles ad colendam ipsam Con-

ceptionem Virginis sanctam et immaculatam: tertio quod interdictum sit publice et privatim asserere maculatum Conceptum eiusdem. His enim videtur aequaliter saltem definitio contineri. Quaestio ergo huc redit 1. an eo ipso quod festi celebratio praecipitur, habeatur definitio Ecclesiae circa obiectum cultus: 2. an eo ipso quod obligantur fideles colere interiore quoque cultu immaculatam Conceptionem, censendum sit decretum latum definitionis: 3. an prohibitio illa ne quid publice vel privatim dicatur contra doctrinam immaculati conceptus sit aequaliter definitio dogmatis.

Advertimus quod quaestio proprie non est an ex his tribus memoratis mediate, h. e. ratiocinio theologico colligere liceat doctrinam immaculati Conceptus esse revelatam; sed haec est quaestio: an his tribus per se definitio continetur ita ut proinde immerito dixerint Pontifices haec decernentes se nolle interim rem definire. Quaestio illa: an mediate veritas revelationis colligi possit ex his, agatur postea; modo hanc alteram agimus, et respondemus negative. Responsio quidem haec auctoritate eorundem Pontificum probatur, qui negabant se velle definire: verum nostrum est rationem huius rei reddere, sive explicare quomodo haec componi possent; de hoc enim proprie quaestio instituta est. Iam vero 1. ut praecipitur celebratio festi alicuius ratione sanctitatis haberetur tanquam definitio fidei de illius sanctitate, oporteret certum esse de fide idque ab Ecclesia ipsa credi quod decreta Ecclesiae vel Romanae Sedis praescribentia cultum alicui ratione sanctitatis sint infallibilia; atqui etsi id theologice iudicaretur verum, non est tamen certum de fide, ea certitudine inquam, quae inferat haeresim in eo qui negat; ergo. Maior patet, quia quoad hoc aequae se habent et praecipitur celebrationis festi Conceptionis sanctae, et decretum quod fit in Canonizatione SS. quo praecipitur ut aliquis ut sanctus habeatur ac veneretur, cum praesertim eius cultus per officium et sacram Liturgiam universae Ecclesiae praecipitur. Manifestum est autem eam Ecclesiae fidem requiri ut decretum celebrationis festi habeatur tanquam definitio fidei de sanctitate eius quod colitur, si solum ipsum editur nulla alia addita definitione. Si enim ea fides desit. Rom. Pontifex praescribens celebrationem festi alicuius sancti, praescribit quidem ut colatur eo modo quo in Ecclesia sancti ex auctoritate Ecclesiae coluntur: at non eo ipso praescribit ut illius sanctitas credatur, cum haec praescriptio in ipso decreto prout ab Ecclesia accipitur, non continetur. Minor probatur auctoritate s. Thomae, qui in Quodlib. IX artic. ultimo affirmat « canonizationem Sanctorum esse quid medium inter haec duo (scilicet ea quae necessaria sunt ad salutem et in quibus certum est impossibile esse quod erret Ecclesia, atque

ea quae ad particularia facta pertinent, et in quibus iudicium Ecclesiae errare potest): quia tamen honor quem sanctis exhibemus, quaedam professio fidei est, qua sanctorum gloriam credimus, pie credendum est, quod nec etiam in his iudicium Ecclesiae errare possit. » Sententiam Thomae sequitur Causus de loc. Theol. L. V. c. 5. nec dissentit Bellarminus De Sanct. Beatitude. L. 1. c. 9; qui non affirmat id esse certum de fide, sed theologice probat id esse credendum. Quod quidem et nos admittimus: sed haec theologiam certitudinem negamus sufficientem esse ut hoc ipso dicatur definita sanctitas alicuius eo quod eius cultus praecipitur.

Porro 2. ex eo quod iussu sint fideles celebrare festum Conceptionis interiore quoque cultu, cuius obiectum esset sanctitas ipsius conceptionis, eatenus inferretur praecipitur esse fidei actum in hanc veritatem, et sic proinde iam definitam, quatenus fides proprie dicta necessaria esset ut quis vere interiore cultu sanctitatem alicuius coleret: atqui falsum est id esse necessarium; ergo. Maior per se patet: minor vero probatur; quia ad hoc sufficit certa notitia quod sanctum sit quod colitur vel saltem quod honestum sit colere aliquid ut sanctum: haec autem certa notitia haberi potest quin sit notitia fidei; non enim omnis certitudo est certitudo fidei, et praesertim ea secunda certitudo reflexa obtineri potest manente notitia solum probabilis de obiecto in se: ergo.

Tandem 3. manifestum est non unam tantum esse posse rationem prohibitionis ne quis contra aliquam doctrinam publicae aut privatim disputet, rationem hanc scilicet quia illa doctrina ab omnibus credenda sit; sed alias esse posse rationes praecisione etiam facta ab ista, puta quia turbas aut scandalum gignit, quia pias aures offendit: hoc autem positum non est consequens quod decreta sit fides illius doctrinae eo quod vetita fuit disputatio publica aut privata contra illam: cum praesertim haec prohibitio limitata fuerit, permissio facta FF. Praedicatoribus suis in privatis colloquiis oppositam sententiam affirmandi et tuendi.

Igitur restabat adhuc locus definitioni fidei. Ut autem omnem scrupulum eximamus, advertimus quod nisi existisset hoc tertium, permissio nempe quibusdam facta contra doctrinam hanc disputandi: si duo priora tantum existissent, et abfuisset aperta declaratio quod nollent rem Pontifices definire, etsi ea duo per se non fuissent adhuc definitio fidei; tamen sponte fuisset subsecutus ille consensus omnium qui evasisset tandem in clarum et certam professionem fidei universalem, ipso probante et confirmante saltem silentio suo Romano Pontifice, quemadmodum contigit quoad sanctitatem nat-

vitalis h. Virginis, ut obligatio assensus proinde in hoc dogma tandem haberetur. At illa explicita declaratio et limitatio hunc effectum impedit.

IV. Verum quemadmodum certum theologicè est Ecclesiam non errare in praescribendo cultu Sanctorum, ita theologicè iam certum esse debebat immaculatum fuisse conceptum h. Dei Genitricis. Studium vero partium tantummodo efficere poterat ut vis huius argumenti non adverteretur aut sentiretur. Contra hoc argumentum quidem non licebat urgere festum Conceptionis s. Ioannis Baptistae: quod assignatum legitur diei 23. Septembris in Menaeis aliquisque libris liturgicis graecorum, ac in marmoreo Neapolitanae Ecclesiae Calendario, vel diei 24. in non paucis martyrologiis vetustis Ecclesiae Latinae; in quo festo exstant sermones habiti Ravennae a Petro Chrysologo (cf. Paulum M. Pacciaudium de cultu s. Ioannis Bapt. Dissert. III. c. 2.). Nam neque ab universa Ecclesia, vel ex auctoritate Romanae Sedis celebrabatur ea festivitas, neque obiectum cultus erat sanctitas conceptionis; imo nec ipsa conceptio per se spectata, sed circumstantiae eiusdem, annuntiatio nempe angelica, divinae promissio, miraculumque sterilitis concipientis; quae omnia sancta sunt, festumque erat exultationis et gratiarum actionis promovere a Deo concesso hominibus divini praecursoris. Imo in Ecclesiis propriae linguae, etsi Kalendaria non pauca mentionem faciunt Conceptionis s. Ioannis Baptistae, nullum tamen officium aut liturgia pro illa habetur in libris Sacramentorum Gelasii, Leonis, Gregorii, huiusque Responsali et Antiphonario, atque breviario et missali mozarabico: at identidem occurrit penes antiquos die 24. Septembris Decollatio eiusdem sancti. Idem dicendum de speciali festo s. Agnetis. In libris enim Sacramentorum Romanae Ecclesiae editis a Thomaio T. VI. sic habetur 21. Ianuarii: *in natale s. Agnetis Virginis de Passione sui*: 28. Ianuarii: *in natale s. Agnetis de natiuitate*; quod alibi frequentius dicitur: *s. Agnetis secundo* (cf. Alexium Mazzocchi in Kalend. Neapolit. pagg. 47. 48). Verum scopus huius festiuitatis non erat honor exhibitus Agnae natae veluti iam sanctae, sed obiectum festi erat potius illius Virginis per regenerationem subsequente sanctificatio. Sic enim habet Praefatio in libro Sacram. s. Gregorii. « Vere dignum et iustum est, aequum et salutare nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine Sancte, Pater omnipotens, aeternè Deus. h. Agnes natalitia geminantes. Vere enim huius honorandus est dies, quae sic terrena generatione processit, ut ad diuinitatis consortium perveniret. » Vel ut habet Missale Gothicum editum a Thomaio T. VI. « quae sic nata est mundo, ut sit caelo renata, sic sub mortis lege procreata,

ut contereret mortis auctorem .. o vera nobilitas, quae sic terrena generatione etc. » Verum postea obiectum aliud huic festo praestitutum. Cf. Breviarium Rom. et Baronii notas in Martyrolog. ad hunc diem.

### Thesis LXXXVII.

*Ratione habita legum catholicae interpretationis tum intrinsecarum tum praesertim extrinsecarum, tenendum esse censemur quod mulier et semen eius, de quibus Gen. III, 15. sunt beatissima Deipara eiusque Filius. Quo quidem posito suadetur saltem vehementissime quod iis verbis Domini immaculatus quoque Conceptus Virginis fuerit praenuntiatus.*

I. Assumimus tanquam certum quod alibi demonstrandum est, heic non mythum nec somnium (cf. cl. Patrizi De Interpret. Scriptur. L. II, q. 3.) sed historiam describi. Porro supponimus α) quod auctor princeps suggestionis et tentationis fuerit Satan, qui serpente tanquam instrumento sit usus et per ipsum sit allocutus Evam. Sane serpentem verum intercessisse, suasque partes licet secundarias egisse liquet sive ex perpetua appellatione serpentis, sive ex exo-dio narrationis (serpens erat calidior cunctis animantibus terrae), sive ex poenis quibusdam inflicti quae solum vero serpenti convenire possunt. At diabolum quoque partes heic egisse, easque praecipuas, dummodo vera historia supponatur, evidens est. Nam serpens animal nec loqui nec ratiocinari valet: spiritum ergo oportuit esse qui illum ageret: non fuit autem spiritus bonus, sed malus h. e. diabolus: ergo. Cf. Apocalypsim XX, 2. Supponimus β) quod licet verba divinae maledictionis primo loco posita ad serpentem animal per se et immediate spectent: quae sequuntur tamen (inimicitias ponam. . .) *ad Satanam sensu literalis* sive proprio sive metaphorico pertinent, ita ut proinde iste sensus sit *intentus a Deo loquente*, sitque Satanam quem Deus alloquitur: non vero *per accommodationem tantum* ea verba ad Satanam referantur. Id probamus 1) auctoritate Patrum. Nam Satanam esse quem Deus alloquitur, innuit certe Iustinus in Dialog. §. 100. (Mign. P. G. T. VI, p. 711), idem vero vel discrete affirmant, vel tanquam manifestum supponunt absque ullo indicio accommodationis Auctor Recognit. L. V, c. 17. (Mign. T. I, p. 1338.) Theophilus ad Autolycum Lib. II, n. 28. Irenaeus L. III, cc. 22. 23. L. IV, c. 40. (Mign. T. VII, p. 964. et 1114.) Origenes in Ieremiam hom. XIX, n. 7. (Mign. T. XIII, p. 316.) Cyprianus Testimoniorum advers. Iudaeos L. II, c. 9. Hieronymus Quaest. hebr. ad eum locum: Pru-